TOMI I. PARS VI.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis

OPUSCULUM

DE

DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI.

Scriptum Anno 1410. proxime ante Concilium Constantiense

AD

JOHANNEM GERSONEM

Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarium.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquo MSCto HELMSTADIENSI

recensitum ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Helmst. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NICOLAUS de CLEMANGIIS
in Epistola ad Benedictum XIII. Papam A. 1394. scripta.
Supr. Parte II. fol. 28. 29.

En habes inter viros egregios
Virum
literis eruditissimum,
fide, prudentiâ, probitate commendatissimum,
& Zelo unitatis Ecclesiasticæ ardentissimum,
PETRUM
Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis
Et Regiæ Francorum Eleemosynæ Ministrum,
Virum utique, ut breviter dicam,
Te Tuisque moribus dignissimum,
Cujus ipsa quoque insignis virtus
multa est improborum æmulatione sæpe lacessita,
Et quem plane
Alterum lumen nostri ævi
dicere non dubitaverim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Prudenti Lectori

S. P. D.

HERMANNUS von der Hardt.

Riana, Clemangiana, Gerſoniana, quæ *ex antiquiſſimis MSCtis Codicibus dedimus*, prægnantem Concilii Conſtantienſis cauſam, communem illo tempore ac *deploratam Eccleſiaſtici ſtatus corruptionem*, deſideratamque *ejus emendationem*, clare demonſtrarunt. His acquieſceremus, ni & aliorum *illuſtrium virorum* illius tempeſtatis *calculus* non ſolùm confirmaturus illam rem videretur, ſed & uberius illuſtraturus. Quapropter & *Alliacena* quædam *ex antiquiſſimis MSCtis* depromere conſultum fuit viſum, quæ *eadem illius temporis in Eccleſiaſtico ſtatu fata* æque candide ac aperte deſignarent.

Neque ingratum lectoribus fore judicavimus, omnem illius temporis in Eccleſia fortunam ac faciem illis deſcribere coloribus, quos non recentius ævum ſuppeditaſſet, ſed illi ipſi paraſſent, *qui ſuis olim cuncta oculis erant intuiti*, & haud poſtremæ fatorum partes extiterant. Præcipue, quod eſſent hi ſcriptores atque rerum illarum maximarum teſtes non ex plebe aliqui, ſed *Viri in literato orbe eminentes*, qui Eccleſiæ regimen ſuapte prenſaſſent manu. Quod incomparabile teſtimonii pondus eſt. Tantoque magis hæc teſtimoniorum autoritas lectorem & afficere & delectare vel & excitare poteſt, quanto majoris *ingenii* & celſioris *judicii* illa ſunt *monumenta*.

Accedit, quod non quotidiana hæc ſint, ſed recondita aliàs, *in MSCtis ſepulta*, memoriæque hominum ſubducta. Quæ *ex vetuſtis MSCtorum monumentis eruta* eo majorem gratiam habent, quo vividius atque elegantius vel & candidius *genuinam illius temporis imaginem* pingunt. Ut hæc talia legere, ſit in priſca illa ſecula deſcendere, in præteritum orbem abire, doctos illius ævi viros coram audire, res publice geſtas diſtincte contemplari, haud aliter acſi noſtris cuncta jam eſſent expoſita oculis. Quæ magna lectionis eſt voluptas, major fides, & maximum emolumentum.

Aptiorem autem in hujus argumenti recenſione locũ dare noſtro huic *Petro de Alliaco Epiſcopo* Cameracenſi, Gallo, vix potuimus, quàm dum Gerſono Pariſienſi Cancellario, Gallo, junximus, ut hujus latus clauderet. Non tantum uterq; eodem vixit tempore, quo ſurſum ac deorſum omnia in Eccleſia ferebantur, ſed & utriusque animus publica illa Eccleſiæ miſeria valde affectus, qui Collegæ antea fuerant in Academia Pariſienſi conjunctiſſimi, & omni poſtea tempore inq; ipſo Conſtantienſi concilio familiariſſimi vixerant, publicorum damnorum & initorum conſiliorum participes. Neque amicius conſpiraſſe deprehendentur in plerisque conſilii partibus, *de emendanda illius ætatis Eccleſia*, quàm hi ſummi Viri. Una prope utrique mens, unus ſcopus, una ſpes. Quare *frequentes* unus alteri de rebus præſentibus *literas* dedit, non ſolùm vel conqueſturus, vel ſolatium ægro ſuo animo quæſiturus, alterique ſuppeditaturus, ſed & dubia exponendi ac diſcutiendi ſtudio.

Atque ita ſuperius Gerſonianum monumentum, noſtro Epiſcopo Cameracenſi inſcriptum, ex Gerſono erat multis precibus extortum. Simili igitur ratione præſens hoc Petri de Alliaco Antiſtitis Eccleſiæ opuſculum, Gerſono iterum deſtinatum, dubia vel alia vel eadem repetiit, quibus dolorem ſuum animique ægritudinem plenius effunderet Vir integerrimus. Ut hoc ſcriptum Alliacenum cum ſuperiori Gerſoniano arcte cohæreat, ſibiq; unum alteri reſpondeat.

Neque verò *candidiora* prodiiſſe videbuntur illo tempore *ſcripta*, à viris magnis exarata, quæ *Eccleſiaſtici ſtatus formam* apertius delinearent, quam cum Gerſonianis illis hæc *Alliacena*. Quamobrem ex *antiquiſſimo MSCto Codice Academiæ noſtræ Helmſtadienſis* & hæc eruere, atque ut lucem ferrent adornare, in capita more ſolito diſtinguere, decenterque digerere non piguit.

Ingenuum pectus Epiſcopi undecunq; elucet. Conſulendi moderatio, ſciſcitandi modeſtia, indagandi ſagacitas, dijudicandi prudentia, ſua radiant luce. Et fere apparet, hanc Viri ingenuitatem, quæ Benedictum XIII. antea commoverat, ut ex Academiæ Cancellario Epiſcopum faceret, mox quoque Johannem XXIII. pellexiſſe, ut ex Epiſcopo Cardinalem crearet. Cum enim hæc ſcriberet, & cum Gerſone conferret, A. 1410. *Epiſcopus* adhuc *Cameracenſis* erat, nondum Cardinalitio ſplendore illuſtratus. Anno verò proxime ſequenti 1411. à Johanne 23 ad *Cardinalitium* fulgorem evectus eſt.

Quamvis enim hoc *Petri* noſtri, *Epiſcopi*, ſcriptum tam durum vide-

videretur ac grave ipsius *Papæ Johannis* 23. & nomini & fortunæ, ut utrique propemodum exitium minaretur: Nihilominus pectus viri integerrimum, tantum abest affectum Papæ abalienaverit, ut potius deliniverit vel & propensiorem reddiderit. Neque negaverim, *callidum Johannis* 23. *consilium*, ad exemplum Benedicti, hic facile subodorari prudentes. Quippe quod ejus indolis viri, qui & vellent & possent Papali dignitati obesse, non alio quam veritatis ac virtutis nomine, viderentur mollissime a scopo avocandi, deliniendi, à zelo abstrahendi, aliaq; mente sensim imbuendi, dignitatis celsæ præfulgido charactere oculis objecto. Non enim *dissimulanda* solum in talismodi capitibus atque Episcopis videbatur styli *acrimonia*, quam veritas rei extorsisset, sed & *blanditiis mitiganda* atq; *beneficiis abstergenda*. Quæ insidiæ si non finem assequantur intentum ut animum flectant, profecto aut ferreum ac inconcussum vereq; *heroicum pectus* testantur, aut urgentia *amicorum consilia* atque calcaria arguunt. Noster sane *his oculiferiis* non adeo captus ac fascinatus, ut calamum abjiceret, vel manibus excidere sineret. Eadem semper mens. Idem consilium. Ni forte hanc speciem quis obsequii spectaverit, quod postmodum in aliquibus momentis aut decretis sedem Papalem concernentibus mitior visus. Quod tamen pietati vel prudentiæ potius dederim quàm fascino.

De cetero, uti magnæ corruptioni Ecclesiastici status, nec non pro illo seculo ori apertissimo candoriq; infucato dandum, quod sedis Romanæ maculas aut Johannis 23. facinora omni velo remoto palam detexerit, exemplo Gersonis, dissimulare nescius: ita & hoc concedemus illis fatis, quod unice fere Romani illius Pontificis, Johannis 23. *regiminisve Ecclesiastici supremi emendationem* desiderasse videatur. Qui præterire visus *inferiorum in Ecclesia statuum reformationem*. Nam præterquam quod aliis scriptis & hanc rem pluribus exegerit, uti postea ex præclaris MSCtis declarabimus, constabat, à *capite exulcerato* membra nervosque corporis nullam expectare salutem. Ut capitis medela videretur prior ac potior, sine qua omnis reliqua cura corporis ac membrorum suo fructu caritura.

Eodem plane modo eandemque ob causam & *Gerson* superiori illo scripto non nisi capitis Ecclesiastici vulnera atque malagmata, aut si medelam respueret quo ense rescindendum esset, indicaverat: Non immemor alioquin *membrorum Ecclesiæ reformandorum*. Præterquam enim, quod commune ac publicum totius Ecclesiæ esset desiderium *Reformatio Ecclesiæ* non solum *in capite* sed *& in membris*, Gerson etiam omnium Ecclesiasticorum, *totiusve status clericalis emendationem*, animose ac cordate peculiaribus scriptis urgere non intermisit. Abunde hoc testabuntur vel *orationes Gersonis in Concilio Gallico Rhemensi Provinciali* A. 1408. habitæ, quibus sigillatim *inferioris Ecclesiastici status defectus, & medicinam* singulis adhibendam, egregie delineavit.

Damnat primum in Pastoribus & Prælatis neglectum plebis informandæ, concionumq; sacrarum frigidum studium. Qua occasione

dignum *prædicationis officium* omnibus aliis negotiis sacris præfert, ejusque præstantiam egregie demonstrat. Dolet impense, majores Ecclesiæ antistites ac prælatos hoc docendi dicendique officium tanquam vile ac plebejum despuere. *Sed o mores, o tempora!* exclamat. *Ludibrium nunc apud quosdam ex Prælatis, vel probrosum aliquod artificium suaque indignum dignitate prædicatio aut publica ad populum exhortatio judicatur. Est inquiunt hoc officium vel mendicantium vel pauperum Theologorum.* Exceptionem Prælatorum, *se gregem docere per substitutos*, se dicere aut prædicare *per illos, qui se libenter ad hoc opus ingerant*, quod videatur satis, cum illarum concionum tanta sit frequentia, ut plebi sint nauseæ: Prælatos graviora ac magis ardua tractare, *jurisdictionem*: Solvit Gerson, monendo, *principale* eorum *officium* esse *docere plebem, accessorium* verò *opes Ecclesiæ tueri*: Non illud sed hoc per substitutos faciendum: Et si illud quod majus per alios fieri queat, quanto rectius hoc posterius quod minus per subordinatos fiat.

Multitudinem concionum objectam refellit earum tenuitate. *Pauci*, inquit, *sunt sermones in tam multis: Multis inquam numero, sed perfectionis laude rarissimis.* Probat hoc, concionum vulgatarum illius temporis ideâ expressa: *Quia adulteratur verbum Dei atq; corrumpitur, dum vel quæstus existimatur pietas, vel dum miscentur eorum mala semina, vel dum inutilia sterilia que narrationum frivolarum Zizania superseminantur.* Doletq; Gerson, majorem in Prælatis notari curam atque vigilantiam in eligendis mercenariis pro agrorum suorum cultura, quam habeant in *electione bonorum prædicatorum* pro animarum cura atque cultu. Hinc gratiores esse Prælatis observat procuratores, advocatos, aliosque civilium rerum peritos, quibus utantur in defensione & administratione temporalium, quam doctissimos theologos. Distinguit dein argute Gerson inter ipsos officii sacri gradus. Quod, quo quis in munere Ecclesiastico altius evectus, eo sacratiora atque diviniora tractare debeat. Plebanorum pastorum rem esse summatim duntaxat & generali quodam tenore præcepta divinæ legis tradere, grossa quadam explicatione articulos fidei exponere, sacramenta exhibere, festa curare. Prælatorum autem esse scire rationem eorum omnium subtiliter & particulariter reddere, ad debellandos hæreticos & protervos. Quod si & hi nolint suum præstare officium, nec beneficium officio annexum jure deberi.

Posthæc magnam dignitatem cum ingenti difficultate hujus sacri dicendi officii exponit Gerson, ut monstret, quàm *magnæ* requirantur *virtutes oratoris sacri.* Contrarios effectus pro auditorum diversitate ex eadem oratione nasci facile, sicut in campis, quod unam nutriat ovem aut pecudem, alteram emaciet aut necet. *Culpaverit aliquis avaros, prodigus sumet inde argumenta suæ profusionis iniquæ. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacior sordidiorque efficietur.* Hoc *in omni vitiorum extremitate inveniri*, nisi *cautissima sollicitudine* sic arguatur unum vitium, ut alterum similiter inculpetur. Hoc autem ut *semper & solerter agat* verbo orator, ut media pateat via, tam *pru-*

prudentem ac *vigilem* eum esse oportere, *ut vix unus ex millibus possit inveniri.* Alia idem demonstrat conditione: Quod quidam auditorum tam sint hebetes, quibus nihil pene, quantacunq; sit prolixitas, hæreat, nec decies repetita apprehendantur: Alios prævolare ingenio, confestimque omnem prolixitatem illis fieri onerosam: Plerosq; non fideliter arripere dicta, sed ad sua trahere desideria; Ut in omnem partem verba audita trahantur, haud aliter ac pueri de sono campanarum judicent, vel sicut fabula de lupo syllabicante ferat, qui audiens *pa* & *ter*, agnellum ex eis conjunxerit, quod hunc imaginatione sua versaret. Præterea male intellecta aliquos pejus interpretari invidiæ vel stultitiæ stimulis impulsos, haud aliter quam, si per cribrum lac percoletur, effluat quicquid purum, purgamenta sola, festucæ sordes & paleæ, retineantur.

Ex his concludit Gerson, quod *exigatur ad officium prædicationis ingenium velox, solers*, atque *versatile.* Requiri eloquentiæ torrentem, orationem vehementem, suavem, copiosam, ne adhæreat lingua palato, sed & temperatam. Magnam eruditionem & scripturarum sacrarum cognitionem desiderari. Qua de causa pastor consecrandus interrogetur: *Scis utrumque Testamentum?* Longam experientiam esse necessariam actionum humanarum & communis vitæ generis; Conversationem ejus & vitam exemplarem ac irreprehensibilem, alienam ab omni crimine, præsertim ab avaritia & luxuria, quæ famam maxime lædant, qui alioquin plus exemplo destruat quam verbo ædificet, sicut *vox operum fortius sonet quam verborum.* Proprium denique divinorum affectuum sensum atque gustum pastori digno adesse oportere, qui alios ad desideria cœlestia accendere velit, quod frustra conetur, si frigidus in se totus sit atque algidus maneat.

Unde porro deducit Gerson, ad tale arduum munus *vocandum* non esse nisi *idoneum & probatum.* Deploratque sui temporis calamitatem, quando *idiotæ* admoti. Nec in ceteris artibus exercendis admitti ignaros. Quod Medicorum est, promittunt Medici: Tractant fabrilia fabri. Mulieribus verò uti ob permultas rationes, eleganter & copiose enumeratas, sit negatum in Ecclesia docere: Ita & viris pari modo affectis, effeminatis, judicio vel nullo vel obscuro præditis, timidis, incertis, fluctuantibus, imprudentibus, muliebriter fractis sine disciplinæ nervis, idem munus non competere.

Magnos verò *Ecclesiastici* illius *status defectus*, illo tempore ubivis obvios, *corrigendos* gravissime monet Gerson, *Reformationis* illius *Ecclesiasticæ* cancellos definiens. *Scholam Theologiæ* ante omnia in quavis metropolitana Ecclesia instituere suadet, nec non in aliis cathedralibus ac Collegiatis: Ita ut aliqua præbenda huic muneri saluberrimo destinetur. Quo de consilio vehementer laudat *Petrum de Alliaco, Cameracensem* tunc *Episcopum*, qui ad illud institutum pellexerit Benedictum XIII. licet præter spem opus ipsum evanuerit.

Ordinandorum examina urget Gerson, *in fide & moribus.* Ut constet an sint apti ad tantum docendi officium, qui fabulas aniles & ludi-

ludicras fugere sciant. *Generalem* illam *licentiam* carpit, quando aliqui religiosi *protinus ut aliquis sciverit duo verba proferre volubilitate linguæ, inthronizent eum in cathedra prædicandi.* Astringendos præterea esse pastores illos, qui superioribus haud detrahere atq; ita *linguæ parcere* discant, quin auditores moneant superioribus etiam discolis obedire. *Habeat*, inquit, *prædicator linguam & linguam: Linguam pro subditis, & linguam pro Dominis ac prælatis.*

Catechisationem dein & *specialem parvulorum curam* commendat Gerson, præsertim in morum disciplina, secundum Christianæ religionis tenorem. *Ecclesiæ siquidem reformatio debet inchoari*, ait, *à parvulis: Quia ejus deformatio venit ab eis prave & nequiter institutis.*

Atque hoc fine sufficienti *salario* hos magistros ac pastores esse instruendos, ut ad *pietatem* magis quam ad *quæstum* suas prædicationes possint adornare. Obviam simul it Gerson Prælatorum objectioni: Theologos, maxime Doctoris gradu insignitos, oportere prædicare, sed in museis suis toto die illos hærere otiosos, qui scientiæ suæ talentum recondant. Respondet his Gerson abesse vocationem & salarium: *Nemo nos conduxit. Neque licentia magistralis in Theologia dat obligationem prædicandi, sed ostendit idoneitatem, quam exercere non tenentur, nisi velint, vel aliunde mittantur cum mercede sua.* Audacius quod hæc à Gersono dicantur excusat ipse, quod sua conscientia teste *se sciat ab omni specie quæstus alienum, qui satis jam habeat Dei dono de bonis Ecclesiæ, ut sine sumtu alieno Evangelium prædicare studeat.*

Ulterius *publicanda* esse ait, aut *componenda* si desint, *opuscula* quædam *theologica*, quibus generalis fidei Christianæ ac morum tenor describatur, ut habeant sacerdotes imperitiores quod legant ac ruminent. Compelli quoque hos posse, ut suis expensis singuli redimant, uti in Synodalibus statutis civilibus contingat.

In mensis quoque *Ecclesiasticorum*, maxime Prælatorum, *sacras lectiunculas* optat. *Quæstores* autem, ut erant indulgentiarii, similesque religiosi, qui linguas suas ad falsa & inepta laxent, cohibendos esse.

Conversationem denique *cleri* cum *sanctam* optet, *tyrannidem* ejus & *avaritiam* abominatur.

Hospitalium reformationem expetit, *tam in temporali quam spirituali regimine*, ad votum fundatorum.

Monasteria Monachorum reformari cupit, eosque per civium domos tam frequenter oberrare indigne fert. *Monialium* verò miseram fortunam his deplorat verbis: *O utinam nulla sint monasteria mulierum, quæ facta sunt prostibula meretricum, & prohibeat adhuc deteriora Deus.*

Sicuti non admittit, pastores esse suæ Ecclesiæ tyrannos, qui plebem premant & exhauriant, ita & pastores opibus suis ac beneficiis aut salariis non esse privandos addit. *Quod non habet Christus, ait, tollit fiscus: Et quod subtrahitur egeno, rapit prædo.*

Abdita

Abdita vulpium fiunt rapina luporum, ut qui prædatus fuerit prædetur & ipse.

Ecclesias dissipatas vel esse resuscitandas ac instruendas ministris, vel ad aliam Ecclesiam transferendas, ut fundationibus fiat satis.

Posthæc *Prælatorum domum honestatis* vult esse *curiam. Reformatio*, inquit, *debet inchoari ita ut primo fiat judicium à domo Prælati, sicut fit in universo à domo Dei. Ne præterea contingat objici Prælato: Medice cura te ipsum: Et illud Apostoli: Qui prædicas, non furandum, furaris, imo & sacrilegium facis.*

Efficaciter igitur non nudis verbis providendum, ne *astutissima* imò sæpe aperta *tyrannis promotorum* ac procuratorum in angariis & citationibus injustis valeant. Quales astuti exactores, si injustitia patefiat, impune abeant, *C'est le droit de la porte baudet.*

Lites abbreviandas & excommunicationes moderandas. Cum hæc fulmina prælatorum ac ministrorum sæpe pro re tenui defendenda aut recuperanda vibrentur. *Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum, qui, ut muscam abigeret à fronte proximi, ictu securis excerebravit eum.*

Pro sacrorum administratione, vel officiorum collatione, plusculum auri dari vetat, ad *simoniam* vitandam.

Pœnas pecuniarias restringendas esse, ne tam emendatio quam auri desiderium & exactio quæsita videatur.

Crapulosas commessationes ex Prælati curia exulare debere, ut & *potus ad æqualia*, meretricationes sordidas, dare symbola, frequentare tabernas. Frugalitatem iis commendat.

Sed & nimiam *Prælatorum pompam*, in onerosa & incomposita servorum multitudine, quibus *homines comatuli & adolescentes lascivi*, otio dediti, comprehendantur, dissuadet. Quod hi præter ebrietatem & crapulam *nil aliud studeant, nisi vel insidiari alienæ pudicitiæ, suæ prodigi, vel lusibus illecebralibus occupari.* Unde *adinventio deformissima habituum variorum*, lusus taxillorum & ejus generis alia. *Jejunia publica* juxta Ecclesiastica statuta à *potentibus & divitibus Ecclesiasticis* diligentius servari rogat, *apud quos versa sint velut in risum, cum soli fere pauperes atque rusticani jejunent, quibus vix sit panis cibarius relictus ad saturitatem sufficiens.*

Ad libidinosa denique facinora non solùm in parentum ædibus sed & religionum ac scholarum contuberniis pueris & puellis ansam dari severe prohibet, cum ibi sæpe discant mores, quos non exercituri erant in prostibulis lenonum ac meretricum.

Sacrorum publicam administrationem decentem expetit. *Confessionem* inprimis *coram oculis omnium in aperto loco* fieri cupit. Ne quid angellus suadeat turpe factu aut cogitatu. *Væ aliter agentibus*, inquit, *& sub familiaritatis specie in angulis vel camerulis res ignominia plenas exercentibus, easque deteriore sacrilegio sub devotionis specie palliantibus & excusantibus.* Similiter & *casuum* seu *peccatorum reservationem moderatiorem* urget. Ne & *puellæ verecundæ* eloqui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

compellantur aut *confiteri* ſacerdotibus, quæ ætas vetet. Filias etiam & uxores ad pœnitentiarios longius remotos mitti, non probat, quod ſuſpicione res non careat.

Concubinarios ſacerdotes brevibus quoque notat.

Viſitationem per totam diœceſin aut provinciam *frequentem* Prælatis ſedulo commendat. Quod *hic* ſit *cardo totius Reformationis Eccleſiaſticæ.* Sicut enim veteri dicatur proverbio, *oculus Domini impinguat equum,* ſic præſentis Paſtoris autoritatem nutrire & paſcere gregem. Sed *providum* hunc requiri *viſitatorem, compoſitum, ſagacem, non lupum, non latronem rapacem.* Ira commode inquiri in doctrinas varias & peregrinas, clam vel palam proditas, de ſortilegiis, de ſuperſtitionibus, de blaſphemiis, ut & in gravimina plebis contra exactores curiales & excommunicationes. *Concernere hunc viſitationis modum Archidiaconos* quoque, *ne plus ad quæſtum & ſubverſionem quam ad pietatem & ædificationem viſitatio eorum judicetur inſtituta, ne ſint velut catus, abigens quidem mures à caſeis, ipſos verò plus devorans.*

Annuam provincialium Conciliorum celebrationem ex eo celebrat ac laudat. Quod *nihil pene ſic mores diſciplinatos ab Eccleſia expellat, quàm negligentia ſacerdotum, qui ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligant.*

Poſtremo *pacem* Eccleſiæ publicam *per morum correctionem Conciliiſ Generalis celebratione* eſſe procurandam, *in quo generales per Chriſtianitatem errores passim ſparſi generali remedio eſſent corrigendi.*

Ex hac Gerſonis oratione, in Provinciali Concilio Gallico Remis proxime ante Concilium Piſanum & haud longe ante Concilium Conſtantienſe habita (cujus *MSCtum, Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſi* ſacrum, cum impreſſo antiquo codice curate contulimus) abunde elucet, quàm avide illo tempore æque membrorum Eccleſiæ ſeu *inferioris ſtatus Eccleſiaſtici,* ac Romani Pontificis curiæque Romanæ ſive *ſupremi Eccleſiaſtici regiminis* emendationem expetiverint atque expectaverint boni. *Gerſonis* autem & *Petri de Alliaco* una circa totam Eccleſiæ reformationem mens ac ſententia.

PETRI

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
CANDIDUM OPUSCULUM
DE
DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI,
Scriptum A. 1410. proxime ante Concilium Constantiense
Ad
JOHANNEM GERSONEM,
Parisiensem Cancellarium.
Ex antiquo MSCto Academiæ Helmstadiensis.

CAPUT I.
De Difficultate Concilii Universalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat, haud longè ante Concilium Constantiense.

Gersonis librum vid. supr. Part. V.

Prava Johannis 23. indole.

Jus Imperatoris concilium generale convocandi à Gersono assertum.

Dubiũ ex vacante imperio. Imperiũ vacavit A. 1410.

Principes Imperii diversis tunc Papis addicti.

Dissensere Electores in eligendo novo Imperatore.

Dubia de Sigismũdo, Hungariæ Rege, in Imperatorẽ eligendo.

Wenceslao, Sigismundi frater, Imperii jura neglexerat.

Exigua spes primũ concepta de Sigismundi in Ecclesiam & imperium studio.

Novum dubium,

BOne pater, In præmissis mihi aliqualiter satisfecisti. Nunc autem, si non timerem te nimis offendere, atque Patris mei spiritualis, scilicet *Domini Papæ, verenda detegere*, quæ tamen proh dolor *ipse non curat* (ut docet experientia) *cooperire*: Aliqua adhuc mihi occurrentia *dubia* vellem per tuam industriam declarari.

Videlicet, ubi dicis, quod *per Imperatorem* vel *Regem Romanum convocatio generalis concilii, pro militantis Ecclesiæ redintegratione & morum reformatione*, in eadem fieri oporteat. Quod mihi grave dictum esse videtur, cum actu non sit *Imperator* aut *Rex Romanus*, sed *vacet imperium*, atque Electores Imperii quidam *Johanni* & alii *Angelo* prædictis obediant, & aliis diversis respectibus sint divisi.

Videtur etiam, quod ad eligendum aliquem in *Regem Romanum*, præsertim utilem & idoneum, Principes Electores non velint, aut nequeant insimul convenire.

Ex quo infertur, quod dictum *imperium* remanebit diu absque rectore. Et, si ita fiat, sequitur, quod propterea schismata illa in Ecclesia etiam diutius, quam forte credimus, obdurabunt.

Sed *Rex Hungariæ*, si bene singula considerentur, de quo multus est sermo, Ejus salva reverentia, non est aptus ad imperium regendum, *multis* aliis eum magis tangentibus *occupatus negotiis*: Nec est de illis, per quos salus facta est in Israel: Sed per quos dictum *imperium* totaliter *in suis juribus est dissipatum*, quique tam diu permiserunt ipsam Apostolicam Ecclesiam in schismate fluctuare, nullum interponentes remedium, quo reintegrata fuisset. Unde non speratur, quod ex *ipsius Regis electione*, si fieret, ipsa Ecclesia & imperium per hoc prosperari deberent.

Præterea esto, quod nihilominus dicti *Electores* tandem Domino concedente super hoc conveniant, ut aliquem eligant *Imperatorem*, sive *Regem*, eidem Domino Johanni vel Angelo, aut Petro adhærentem: Forsan electus ipse *electionis suæ approbationem* recipiet ab illo, ex eisdem tribus de papatu contendentibus, cui adhærebit, & illi *præstabit* solitum *juramentum*, ut in Decretis

quod à novo Imperatore nō possit expectari reformatio Ecclesiæ.

tis est descriptum. Et si ita fiat, qualiter Rex ipse salvo suo juramento poterit ei contradicere? Vel, nolente, qui dictam electionem approbabit, prædictum *concilium convocare*, seu *in illo præsidere?* Nec non, si videatur ei expedire pro publica utilitate, ipsum, qui hujusmodi electionem approbabit, ad cedendum ejus papatui inducere, aut nolentem compellere potentia coactiva, aut alias circa hoc utiliter providere, prout fecit prædictus *Otto Magnus Augustus.*

Quæ dubia jam solvit Gerson supr. Part. V.

Caput II.

De pecuniariis constitutionibus Johannis 23. quæ Ecclesias onerarent.

Reservationes Johannis 23.

QVippe notorium est, quod dictus *Johannes* in primordio sui Pontificatus *reservarit* suæ dispositioni omnes patriarchales, Metropolitanas, ac Cathedrales Ecclesias, nec non omnia monasteria virorum, prout etiam nonnulli ejus prædecessores summi Pontifices facere consueverunt, decernens irritum & inane, si secus super hoc aliquid contingeret attentari.

Plures reservationes fecit Johannes 23. quam omnes ejus antecessores.

Item ultra prædictas, & omnes *generales* alias *reservationes* quarumlibet inferiorum dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, per eum etiam factas, *extra solitam consuetudinem eorundem suorum prædecessorum reservavit* suæ dispositioni, omnes prioratus, Conventuales & majores post Pontificales Cathedralibus, nec non principales dignitates in collegiatis Ecclesiis ubicunque vacantes & vacaturas.

Jo patronatus Ecclesiæ præsidibus subtractū per Johannē 23. Bonifacii IX. vestigia legit Alexander V. Constitutio Alexandri V.

Propter quas quidem reservationes, omnes *gratiæ expectativæ* per eum factæ quibuslibet, etiam magnis literatis & egregiis personis, *restringuntur* ad inferiora beneficia vacantia. Et per hoc etiam *locorum ordinarii*, ne possint de illis prioratibus & dignitatibus utilibus personis providere, penitus *excluduntur.*

Item notorium est, quod *Alexander Papa Quintus* paulo ante ipsius obitum, *sequendo* in hoc *vestigia Bonifacii hujus nominis IX*, qui cum dicto *Petro* de Papatu contendebat, voluerit & ordinarit: Quicunque promoveretur per eum ad quamcunque patriarchalem, aut Archiepiscopalem, aut Episcopalem dignitatem vel abbatiam, nisi infra annum literas Apostolicas super ejus promotione confici faceret, quod ex tunc dicta promotio viribus careret.

Alexandri V. constitutiones servavit Johannes 23.

Et eandem constitutionem etiam dictus *Johannes* observat, & observare intendit.

Item dictus *Dominus Johannes* aliam fecit constitutionem, continentem in effectu, quod quicunque ab eo impetraret qualecunque beneficium Ecclesiasticum suæ dispositioni reservatum, antequam illi sub eadem impetratione literæ Apostolicæ in Romana curia confectæ traderentur, *solveret cameræ Apostolicæ realiter medietatem fructuum* dicti beneficii impetrati *unius anni.* Quam etiam constitutionem ad unguem dictus *Dominus Johannes* ex tunc observavit & observat.

De medietate fructuum aut reditibus unius anni de quolibet officio Ecclesiastico ad Romanam curiam pendendis constitutio Johannis 23.

Item *duæ novellæ constitutiones* vehementer exorbitant ab antiqua observantia Romanæ curiæ, & tendunt in *decrementum maximum Cathedralium & aliarum Ecclesiarum*, & monasteriorum, conventualium, prioratuum, quibus de Prælatis in eadem curia providetur, seu quibus conferuntur vacantia, vel reservantur certo modo vacatura Ecclesiastica beneficia conferenda, ut liquet manifeste. Nam *olim* quicunque præfecti fuerant cathedralibus Ecclesiis, aut monasteriis virorum vacantibus, in prælatos, non arctabantur per sedem Apostolicam, ut *in promtu* plus solverent Cameræ Apostolicæ, aut collegio Dominorum Cardinalium, *pro communi servitio*, quam *medietatem taxæ*, ad quam Ecclesiæ vel monasteria ipsa in eadem camera reperiebantur esse taxata. Et *pro alia medietate solvenda*, promotis, postquam pacificam administrationem eorum

Constitutio pecuniaria Johannis 23. pro communi servitio.

eorum & regiminis Ecclesiarum, vel monasteria, quibus præfecti erant, essent pacifice adepti, competens *dilatio dabatur* in camera memorata, absque privatione quacunque.

Cathedrales Ecclesiæ olim ad magnam auri summam taxatæ.

Et est ratio: Quod generaliter pene *omnes cathedrales Ecclesiæ*, atque omnia *monasteria virorum*, præsertim *in Germania, Francia, Anglia, Bohemia, Hungaria, Polonia*, & aliquibus aliis regnis, reperiantur in eadem camera *ad magnas summas taxata.*

Aurum prænumerandum cameræ Apostolicæ.

Quas quidem *taxas* oportet promotos per ipsum Dominum Johannem *integraliter solvere* cameræ & collegio prædictis, *antequam literæ Apostolicæ* super eisdem promotionibus confectæ *tradantur* ipsis promotis. Quod eis frequenter redditur impossibile.

Prænumerationis illius incommoda in Ecclesias redundantia.

Unde multi ipsorum *a dicta curia vacuis manibus abire* permittuntur.

Ex quo contingit, quod *plures* Ecclesiarum & dignitatum seu monasteriorum, ad quæ promoti sunt, *possessionem nequeant apprehendere*: Et per consequens, unde ipsis Cameræ & collegio satisfaciant intra illum annum, invenire non possint: Et si forte reperiant, hoc fit communiter non absque *magno damno Ecclesiarum* & monasteriorum, ad quæ promoti fuerint.

Dilatio solvendi aeris ipsa officii fuit privatio.

Nulla dilationis excusatio admissa.

Et si *intra* dictum *annum integraliter* non satisfecerint cameræ & collegio memoratis, eo ipso *de Prælatis* ipsis *fiunt non Prælati.* Quia suis dignitatibus, per lapsum dicti anni, propter ipsorum *impotentiam*, seu *paupertatem*, aut aliud superveniens eis *legitimum impedimentum*, ipso facto privantur.

Nec citati vel auditi.

Nec postea *citantur vel audiuntur*, in eorum allegationibus, quare non solvant cameræ & collegio præfatis.

Expensæ Ecclesiasticorum perditæ.

Et sic omnes *expensæ*, per ipsos privatos occasione promotionum suarum in ipsa curia & extra eandem curiam factæ, *perduntur*, & *labores* ipsorum ipsis fiunt *inutiles.* Quare remanent pauperes & scandalizati in clero & populo.

Ecclesiæ quare sæpe pastoribus olim destitutæ.

Ac per hoc etiam *Ecclesiæ* & monasteria ipsa suis *pastoribus*, absq; ipsorum promotorum culpa, passim *destituuntur.*

Et videtur, quod *dominus Papa* & collegium Cardinalium præfati, sint in culpa, quare intra dictum annum ipsi promoti totaliter non solverint: Quia non dederunt eis literas super ipsorum promotionibus, & sic pecunias restantes acquirere non potuerunt.

Melior ordo in Ecclesiis ante tempora Johannis 23.

Item olim ante schisma, *Pisis* decisum, novissime iteratum, ratione inferiorum dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, quæ conserebant, aut cum vacarent, conferenda, *non consueverunt* impetrantes *medios fructus* dignitatum & beneficiorum præfatorum eidem *cameræ solvere, priusquam* illa *essent pacifice assecuti.*

Extorti primi Ecclesiarum reditus per Joh. 23

Et tunc *concordabant* super illis *cum collectoribus fructuum* dictæ cameræ in diversis partibus debitorum, aut successoribus eorundem. Nunc autem *extorquentur* dicti *medii fructus* ab impetrantibus ipsis in eadem curia, *antequam* eis *literæ* Apostolicæ confectæ super talibus gratiis *tradantur* per officiales dictæ cameræ. Licet *plerique* dictorum *impetrantium* sint *incerti, an possessionem* earundem dignitatum & beneficiorum unquam *valeant adipisci.*

Artificium Joh. 23. unum officium Ecclesiasticum vendedi. Prænumeratio reditum Ecclesiæ pendendæ ab omnibus candidatis, etsi unus solum officio posset frui. Novum aucupium auri sacri in Johanne 23.

Et quod deterius est, *si* forte *centum concurrerent pro uno beneficio vacante* & reservato impetrando, *daretur omnibus per Papam.* Tamen si literas Apostolicas super ipsis impetrationibus suis vellent habere, *quemlibet* eorum incunctanter *multis medietatem fructuum* dicti beneficii præfatæ cameræ ante omnia *solvere oportet. Prænuret, licet nisi unus eorum illud assequi posset.*

Pono etiam, quod aliquis impetret à Papa aliquod beneficium vacans in compatibile cum alio beneficio quod obtinet, sicque illud primum, per assecutionem pacificam illius alterius, teneatur dimittere: Quod dimittendum impetret alter à Papa, cum istis clausulis, quod illud sibi conferatur, cum vacabit per eandem assecutionem, vel alias quovis modo, præterquam per obitum illius, qui illud tenetur dimittere, ut præfertur: Iste idem *secundus impetrans* nihilominus tenetur solvere *medios fructus* illius beneficii dimittendi, antequam vacabit, cameræ prædictæ.

Simonia

Numquid illa *impetratio* cum solutione *isthac Ec-*

eleſiaſticorum officiorum impetratio inaurata.

ne dictorum mediorum fructuum eſt *Simoniaca* cenſenda eorum prætextu? Et quia poſſibile eſt, quod primus impetrans moriatur, aut reſignet in manibus Papæ dictum primum beneficium: Nunquam ſecundum adipiſcetur, & per hoc ſecunda impetratio inefficax erit.

Papam & Cardinales non eſſe Dominos Eccleſiarum, ſed conſervatores.

Ex præmiſſis etiam corollarie quæritur, cum Dominus *Papa & ejus Cardinales non* ſint *Domini Eccleſiarum & monaſteriorum*, ſed ſolum illorum *conſervatores* in juribus eorundem, num liceat eis nihilominus tales *inſolitas, abuſivas & pænoſas facere conſtitutiones*, per quas potiſſimum *pauperes*, quantumcunque *bene literatæ ac ſufficientes Eccleſiaſticæ perſonæ*, non tamen habentes in promtu ſolvere Papæ & collegio ac Cameræ ante dictis integros & medios fructus prælaturarum ac monaſteriorum, & aliorum inferiorum dignitatum ac beneficiorum, *in ipſa curia excluduntur*, & illa ſolum habentibus & ſolventibus, quantumcunque alias forte inſufficientibus & *illiteratis, conceduntur*? Et num dictæ conſtitutiones, abſque peccato mortali poſſint à quolibet obſervari? Cum *propter avaritiam* & contra charitatem & Evangelium, ſcilicet, *gratis date, gratis accepiſtis*, & contra ſacros canones, & ſub tali velamine peſſimam *Simoniã* inducentes, fuerint adinventæ.

Literati non bene ærati ab officiis Eccleſiaſticis excluſi. Illiterati inaurati ad officia admiſſi. Conſtitutiones pecuniariæ Joh. 23. ſimoniacæ repudiatæ.

Caput III.

De magnis dubiis, Gerſoni objectis, De Papa extra Cardinalium collegium eligendo, & ſic Eccleſia reformanda.

CUm igitur juxta præhabita pateat, quod apud Papam & ejus collegium Cardinalium nulla vigeat charitas quoad alios Prælatos & Chriſtianos, ſed perpetua & inſatiabilis rapacitas potius ardeat in eisdem, ut qualitercunque dicebatur: Dato, quod *generale Concilium convocaretur*, & fieret, ſicut dicis & conſulis fieri debere, qualis ex hoc *utilitas univerſalis Eccleſiæ* reſultaret?

Conciliũ generale convocãdum ſuo fructu cariturum.

Eſto etiam, quod omnes iſti tres de papatu contendentes *ſponte cederent*, aut *ad cedendum compellerentur* inviti, eisque novus Papa, ſicut factum fuit in Piſis noviſſime, ſurrogaretur: Dicti *Cardinales* in ſtatu eorum nihilominus remanentes dicerent, quod *ad eos duntaxat ſpectaret electio ſummi Pontificis.*

Cardinales electionem novi Pontificis ſibi ſolis vindicaturos.

Quod ſi obtinerent, non eſt dubitandum, quin unum ex ſe ipſis eligerent, ſicut fecerunt in Piſis. Sicque *nulla reformatio efficax & fructuoſa* ex ceſſione hujusmodi ſequeretur, niſi *vocalis*, & *unius perſonæ mutatio tantum.* Et hi quidem *electus* & *electores*, juxta *mores veteres* eorum, ſimiliter perpetuum errorem in ipſa Eccleſia continuarent, quousq; unus eorum in eodem ſtatu in ipſa Eccleſia remaneret.

Reformationis irritæ augurium. Priſtinos mores mãſuros.

Certum eſt enim, quod myſtice *ſacerdotes Bel* cum eorum uxoribus & filiis omnes unanimiter in lacum leonum miſſi fuerint, ut per ipſos leones devorarentur. Quod *ſi aliqui eorum ſupervixiſſent*, ex tunc etiam cibos regios, eidem Bel ſingulis diebus appoſitos devoraſſent, prout ante deceptorie facere conſueverant. Et ne hoc deinceps fieret taliter, una ſententia ſuper omnes juſto Dei judicio lata, ſubito perierunt.

Grave exemplum à Petro de Alliaco datum de ſacerdotibus Belis.

Et quia Eli debite non correxit ſuos filios, in legem Domini delinquentes, privatus eſt ſacerdotio, & de ſella corruit, & fracta cervice deceſſit. Uxor alterius eorundem filiorum abortivit, & ipſi filii interfecti quaſi eodem tempore perierunt, *ne aliquod ſemen eorum remaneret* ſuper terram.

Exemplũ Eli in ſacta Eccleſia circa tempora concilii Conſtantienſis traductũ.

Et ſi forte dicti Cardinales, ipſis eodem concilio reſiſtente, ne ipſi eligant Papam, & ſi tota congregatio, aut ejus autoritate aliqui maturiores prælati, *aliquem virum idoneum & utilem extra dictum collegium Cardinalium eligerent*: Illi Domini Cardinales, ut præſumendum eſt, obedire ipſumque in Papam habere non vellent.

Papam extra Cardinalium Collegium electum non iri admiſſũ.

Unde *novum ſchiſma* in eadem Eccleſia

sia priore pejus iterum procul dubio oriretur. Sicque ad omnem partem est magis perplexitas in hoc facto.

Concilii Pisani fata Concilii novi exemplũ fore metuitur.

Etiam, Pater, te scire desiderio, quæ dico: Sicut *Pisis* factum fuit de *celebratione ultimi generalis concilii*, subsecuta electione illico dicti *Alexandri Papæ V.* quod, licet Domini *Cardinales*, qui tunc erant, utriusque obedientiæ, dictum concilium Pisanum convocarent, & *promitterent* in eorum literis longe lateque directis, *quod dictam Apostolicam Ecclesiam in capite & in membris* per idem concilium *reformare vellent*, tamen eundem Alexandrum *de eodem consortio* elegerint. Qui prorsus inexpertus erat eorum, quæ officii Pastoralis honor & sublimitas exigebat, quamvis esset magnus Theologus. Et *quicquid* dicti *Cardinales ab eo petierunt, ipsis absque contradictione concessit, nec audebat ipsis aliquid denegare.* Unde ipsi continuo eum importune crebris petitionibus vexarunt, ita, ut aliquando propterea in se ipso nimium turbaretur. Nec poterant satiari.

Reformatio promissa Pisis sed non præstita. Alexandri V. genius, Prona indulgẽtia,

Deformatio officiorum Ro. curiæ.

Deformavit etiam, eis volentibus & instantibus, statim post ejus assumtionem ad papatum *nobiliora officia suæ curiæ*, in præjudicium aliorum. Insuper *privavit multos* absentes nec vocatos *suis dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis*, occasione sumta, vel quod *Angelo* aut *Petro* præfatis adhærerent. Et similia *multa fecit* satis *absurda*, eâdem importunitate & ambitione hujusmodi *Cardinalium*, ipsum ut sic faceret stimulantium.

Iniqua Ecclesiasticorum remotio. Prætextu. Calcaria.

Et hæc fuit ipsa reformatio ultro promissa!

Caput IV.

Scrupulus de Concilio Universali intermittendo.

Inanis de Concilio generali spes.

Sed quia de præteritis præsumitur *in futurum*, videtur, quod verosimiliter sic aut pejus fieret, *si promissum per ipsum Alexandrum* in ejus papatu, de quo nunc agitur, *celebraretur concilium generale.*

Præterea *semper anniti & non proficere, ultimæ dementiæ est.*

Igitur ex istis omnibus, per me in præcedentibus quæstionibus tactis, videtur mihi, quod utilius sit, *relinquere* dictos Dominos, *Papam & Cardinales, suo ingenio*, quam supervacue dictum concilium celebrare: Ad parcendum eorundem Prælatorum & aliorum *superfluis laboribus & expensis.*

Ferenda quæ mutari non possint.

Tamen quod *in his perplexitatibus* tibi expedire videtur melius, edicito Pater.

Caput V.

Novi scrupuli de Constitutionibus pecuniariis Johannis 23.

Præterea in Sexto & Decr. in plerisq; locis habetur, quod omnium beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio pertineat ad Papam, attamen *ordinarii collatores* de illis habeant providere, modo vacet aliquod beneficium dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum, quod *aliquis* ad hoc *idoneus* vellet habere.

Sed cogitet quis inter se: Si illud impetrabis à Papa, non habes, unde *medios fructus primi anni* dicti beneficii ei solvere possis, & per consequens tibi *non darentur literæ* Apostolicæ super illa impetratione, *nisi ante omnia solveres illos:* Quia *impedit omne forum defectus denariorum.* Vel habet, unde solvere posset, cogitat tamen, hoc esse iniquum, simoniacum, scilicet ut solvat illos fructus, antequam habeat possessionem dicti beneficii, quod impetravit à Papa. Quia est quidem color sophisticus, ne sub illo velamine dictum beneficium sibi concedatur à Papa. Ut sic esse videatur *contractus emtionis & venditionis* inter Papam & eum. Nempe dictum beneficium per Papam,

Impedit omne forũ defectus denariorum.

A Joh. 23. ad Ecclesiasticum officium promotus factus Simoniacq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Papam, non suorum meritorum, sed *pecuniæ ob respectum*, sibi dari. Nec certus esset, an dictum beneficium prætextu illius contractus assequi posset. Sciens etiam, quod beneficia Ecclesiastica gratis debeant conferri, nullo pacto, seu pecuniario quæstu intercedente.

A vero patrono Ecclesiæ promotus pro Intruso habito.

Unde istis inter se discussis, vadit ille ad *ordinarium collatorem*, qui ipsi gratuito confert dictum beneficium vacans, quod virtute talis collationis assequitur pacifice. Sed nihilominus de jure communi censetur *intrusus* in illo, propter reservationem papalem, & si percipiat fructus exinde, efficitur *inhabilis* eo ipso ad quodcunque beneficium Ecclesiasticum in posterum obtinendum, *ni solvat* hujusmodi *fructus perceptos* exinde cameræ Apostolicæ, & per Papam habilitetur, & simpliciter dimittat dictum beneficium. Et si habilitari taliter velit, & dictum beneficium ulterius retinere, necessarium est ei, ut etiam illud *denuo impetret à Papa*, & concordet cum ipsa camera pro mediis fructibus dicti beneficii unius anni futuri, & illos etiam efficaciter solvat. Quod si fecerit, *incapax* ad obtinendum alium Ecclesiasticum titulum remanebit. Et sic ipsum beneficium censetur esse sine vero rectore. At Ecclesiastica beneficia ad hoc instituta sunt, ut propter ipsa in divinis officiis Domino serviatur.

Fructus percepti solvendi.

Fructus percipiendi itidem solvendi.

Modò quæro à te, Pater, qualiter *in hac perplexitate* pro salute animarum, & ne dicta beneficia debitis fraudentur obsequiis per ordinarios collatores, & alios, cautius sit agendum?

Item est *alia constitutio* seu ordinatio dicti *Domini Johannis Papæ*, quod *in Francia* nullus, etiam Magister in artibus, seu Medicina, & alii graduati, nisi *Magistri in S. Theologia*, vel *Doctores in jure canonico vel civili*, autoritate literarum Apostolicarum *possint habere canonicatus* & præbendas & dignitates, personatus & officia: *Sed familiares Dominorum Cardinalium*, esto quod ipsi *familiares* non sint graduati in aliqua scientia, illa nihilominus autoritate Apostolica consequi possint & tenere.

Theologorum ac JCtorum jus ad Canonicato. Familiaribus Cardinalium majus jus ex constitutione Joh. 23.

Qua quidem ordinatione multorum *literatorum virorum* corda terrebantur. Et quia *quamplures à literarum studiis propterea retrahuntur*, quod non omnes, qui student in studiis generalibus, aliqui videlicet propter paupertatem, & reliqui propter alias diversas causas, *Magistratum in Theologia seu doctoratum in jure canonico vel civili* consequi possunt, & si omnes studentes in illis scientiis magistrari aut doctorari vellent, in infinitum eorum crescceret numerus & pareret confusionem, nec non ipsarum scientiarum vilipendium: Hinc peto, Pater, ut edicas, quid tibi etiam *de ista constitutione* videtur.

Hinc studiorum neglectus.

Item multa solennia officia Romanæ curiæ, ad quæ exercenda requiritur industria personalis, *Alexander Papa V.* & post eum *Johannes Papa* præfati, commiserunt certis *Episcopis* vel *fratribus Minoribus*, qui per *vicarios* illa exercent. Propter quod multæ falsitates & *indebitæ exactiones* in ipsis officiis commissæ fuerunt.

Alexandri V. & Johannis 23. constitutiones ansa malorum.

Etiam ipse *Johannes Papa* multa officiorum hujusmodi, quæ gratis & *idoneis* atque *autenticis viris olim committi consueverũt* & debuerunt, commisit, ut dicitur, *ex pacto*, & concessit *pecunia intercedente*. Sciens tamen, quod illorum emtores nihilominus juxta antiquam & laudabilem consuetudinem in cancellaria Apostolica *jurare* oporteat, *quod nihil ratione neglecto dictorum officiorum ipsi vel alii pro eis dederint*, & sic *voluntarie* illi tales efficiantur *perjuri*, & per consequens inhabiles ad Ecclesiastica beneficia obtinenda, & suspensi ab altaris ministerio: Tamen eis quandoque confert etiam gratias expectativas aut beneficia vacantia, pro suo libito voluntatis.

Venundaverũt officiorum sacrorum à perjurio candidatorum.

Joh. 23.

Et isti sunt fructus, quos idem *Alexander* & *Johannes Papa* hactenus Ecclesiæ Apostolicæ attulerunt.

Fructus Ecclesiæ ab Alexãdro V. & Joh. 23.

CAP.

Caput VI.

Imperatorem unionem Ecclesiæ difficulter paraturum, manente Johanne XXIII.

Johannē 23. non posse manere Papā Universalem ob pessimas constitutiones.

ET, quia dici consuevit; *Quæ nimis apparent retia, vitat avis:* Quæro: Quod si forte *Rex vel Imperator Romanus*, si quis esset, qui foveret partem vel obedientiam dicti *Domini Johannis*, vellet ac posset *per potentiam coactivam* compellere sibi non obedientes, ut ei obedirent, ipsi non obedientes forte responderent eidem Imperatori vel Regi: Quod ad id de jure compelli non possent propter animarum suarum evidentissima pericula, quæ ipsi seu valde multi ex eis verosimiliter incurrerent, si dicto *Domino Johanni* obedirent, potissimum propter *enormales reservationes*, & *pravas constitutiones* ante dictas: Sed magis eis congrueret pro eorum salvatione in statu pristino remanere, quousque forsan *cessarent reservationes & constitutiones* ante dictæ in Romana Ecclesia, & illa *ad pristinos bonos mores* & antiquas laudabiles observationes reduceretur.

Reservationes esse abolendas.

Pristinos bonos mores reducendos.

Et sic etiam *Imperator* vel *Rex* ipse parum vel nihil faceret in hac parte.

Caput VII.

De duobus reliquis Pontificibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Constantiæ mox coactum, citandis.

SEd præmissis salvis, quæro, quid tibi de hoc videatur, quod, cum *Angelus* & *Petrus* prædicti, sint tanquam *notorii schismatici* & pertinaces hæretici in eodem *concilio Pisano* sententialiter declarati, numquid propter magnam adhæsionem, quam quilibet eorum habet, & quod uterque ipsorum asserit, se esse Papam & pro tali se gerit, sint *vocandi* ex abundanti cautela *ad istud concilium, quod instat celebrandum?*

An citandi Pontifices dissentientes ad Concilium Generale.

Et posito, quod sic, *numquid per hoc derogaretur ipsi celebrato concilio?* Quia per multos reputaretur forsan propter hoc de facto processisse, & sic etiam fuisse nulla, & nulliter attentata omnia, quæ exinde subsecuta fuerint.

An illa citatio autoritati concilii sit obfutura.

Et si non vocarentur, remanerent in pristinis erroribus *Angelus* & *Petrus*, & eis adhærentes.

Ex hoc etiam incidenter quæro, numquid, si dictum *instans generale Concilium* convocaretur, & interpretatione juris vel propter publicam utilitatem ipsi, *Angelus* & *Petrus*, & eis adhærentes citarentur, ut dicto concilio interessent, si vellent, alioquin procederetur in illo, prout finaliter expediret, *eorum absentia*, seu *contumacia* non obstante: Numquid sufficeret talis *generalis citatio* quoad eos? Vel an aliqua *causa exprimi* deberet in ipsa, in specie, quare ad dictum concilium celebrandum *mittere* vel *venire* deberent?

De formula citationis illius.

Caput VIII.

De tuto loco Concilii Universalis.

Quis locus Concilio universali aptus?

ETiam, an tunc *Roma* vel *Bononia*, vel aliqua alia *civitas*, *in quam* prædictus *Dominus Johannes Papa habet temporale dominium*, *esset locus congruus, quoad celebrandum in illo dictum concilium?* Et videtur, *quod non*, prima fa-

Civitas non sit sub dominio Johannis 23.

cie. Quia ipsi *Angelus* & *Petrus*, & ejus adhærentes semper allegarent, illum locum eis non esse tutum, & per consequens ipsi ad eum venire vel mittere de jure non tenerentur. Et sic remanerent semper in eorum pristinis erroribus, & dictum concilium hic frustra convocaretur. Ut de multis aliis taceam inconvenientiis, ad abbreviandum sermonem.

Sub qua conditione Concilii possit esse sub dominio Johannis 23.

Incidenter quæro, quod *si Papa Johannes in* aliqua *terra*, in temporalibus *sibi subjecta*, *convocaret* dictum *concilium* in proximo celebrandum, *cum illa cautela*, quod toto tempore, quo ibi esset congregatio Prælatorum, aut duraret dictum concilium, *dimitteret* aliquibus potentibus non suspectis extra manus suas dictum *temporale Dominium* cum receptione *juramentorum* & aliarum utilium cautelarum, quod ista providere deberent, ut nemini fieret violentia vel injuria, sed sibi esset conveniendi & disponendi omnia plena libertas, cum salvo conducto omnibus, qui illic venirent, quod pro eorum voluntatis libito inde tuto recedere possent: Quid tibi, pater, de hoc videtur? An nihilominus *locus* ipse a contendentibus de papatu, & eis adhærentibus tanquam *non tutus* posset licite recusari? Et videtur, quod non. Cum vix sit aliquis locus, qui per aliquod dominium potens non occupetur, seu teneatur, ubi etiam posset impressio fieri, & qualiter in hoc esset providendum?

HER-

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

BReve hoc Alliacenum opusculum in *Codice MSCto Academiæ* nostræ *Juliæ* hic finem habet. In *Codice* nihilominus *antiquissimo MSCto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, Alliacenis, quæ proxima *Parte VII.* exhibebimus, subnectuntur nonnulla, quæ non tam cum illo scripto, quam cum præsenti libello cohærere videntur, cum ratione argumenti, tum ratione styli, ad formam colloquii compositi. Quoniam verò nefas putavimus illa divellere, ac quæ huc pertinere videbantur, exinde transferre: Sub finem sequentis Partis VII. inveniet lector, quæ nostro judicio huc referenda videbantur. Quibus suppetent similes Codices, viderint, num cohæreant, an distincta hæc sint similiter. Nos intactum hoc relinquere non potuimus, sed monere libuit, ut ansa detur lectori solerti & in MSCtis antiquis versato in hæc inquirendi, si qua ampliorem his rebus lucem affundere possit. His interea utere lector, & nostrum in excutiendis MSCtis vetustissimis laborem haud exiguum boni consule.

De cetero, his *dubiis Petri de Alliaco* Gersonem superiori scripto abunde jam satisfecisse, in ipso nostro monetur MSCto, his adjectis verbis: AD HÆC RESPONSUM EST IN PRÆCEDENTIBUS.

INDEX CAPITUM.

Caput I.
DE difficultate Concilii Universalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat.
Cap. II. De pecuniariis Constitutionibus Johannis XXIII. quæ Ecclesias nimium onerarent.
Cap. III. Magna dubia Gersoni objecta, de Papa extra Cardinalium Collegium eligendo, & sic Ecclesia reformanda.
Cap. IV. Scrupulus de Concilio universali intermittendo.
Cap. V. Novi scrupuli de Constitutionibus pecuniariis Johannis XXIII.
Cap. VI. Unionem Ecclesiæ difficulter per Imperatorem effectum iri, manente Johanne XXIII.
Cap. VII. De duobus reliquis Pontificibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Constantiæ mox coactum, citandis.
Cap. VIII. De tuto loco Concilii Universalis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Breve ſed grave hoc monumentum
De
DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI,
ſcriptum
A. M cccc x
Vacante Imperio
Paucis annis ante Concilium Conſtantienſe
a
PETRO de ALLIACO
Epiſcopo mox Cardinali Cameracenſi,
Ex tenebris erutum
& nunc tandem
tribus prope ſeculis elapſis
editum
Ex antiquo MSCto Helmſtadienſi
In Academia Julia
A. M DC xcvi.
d. III. Septemb.

IMPERANTE
LEOPOLDO
CÆSARE POTENTISSIMO
DE TURCIS IN HUNGARIA
GLORIOSISSIME TRIUMPHANTE.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf